

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

Schema
“De accommodata renovatione vitae religiosae”

Testo di Mons. Giocondo M. Grotti

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS VII
CONGREGATIONES GENERALES CXIX-CXXII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV

25

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

- 1) Perraro istae propositiones exulunt a modo generico res tractandi; ideo non video quomodo vel quantum conferre possit ad sacram renovacionem tam exoptatam Institutorum Religiosorum.
- 2) Expositio non est bene ordinata et in ea pene ignorantur constitutions conciliares iam approbatae (*De Sacra Liturgia* et *De Ecclesia*).
- 3) Relate ad schema in anno elapso distributum, certo certius, expositio paupera facta est misera!
- 4) Ad singulos numeros: Nn. 1-3: Cum de « accommodata renovatione » sermo fit, opportunum esset declarare quod renovatio non modo Constitutiones et Regulas attingit sed et preces, Sororum praesertim, quae preces debent ad liturgicum et renovatum spiritum aptari! Insuper regula, bene in luce ponenda, ut habeamus veram renovationem, duo amplecti debet: *a)* notionem praeteriti; *b)* notionem praesentis.

Nn. 4-6: Sunt veluti umbra nn. 17-22 praecedentis schematis!

Parum dicitur de vita contemplativa, et bene scimus omnis crisis in eius despectione radices habere!

« Testimonium christianaee vitae », obligatio prima religiosorum, e suo loco decessit (habebat numerum proprium, 19 scil., nunc habet locum sat angustum in n. 7)!

De apostolatu Religiosorum vitae activae (n. 6) parum dicitur et plura bona elementa in priori schemate contenta hic non apparent, ita v. g. *a)* ut religiosi apostolatum exerceant fere *specificum* secundum spiritum et regulam Instituti; *b)* ut activitas religiosorum sit magis *directe ecclesialis* et non *vix ecclesialis* uti semper accidere solet; *c)* ut religiosi ad extereras nationes

missi, ad hoc praeparentur ut possint penetrare animum fidelium sibi commissorum (cf. quae ad art. 22 dicebantur, in priori schemate, de religiosis ritus latini apud Orientales!).

Nn. 7-9. Oportet clarius loqui non tantum de paupertate sed et de castitate et de oboedientia (cf. nn. 25-26 prioris schematis). Expositio debet esse *clara et positiva*.

Ad oboedientiam quod attinet clare dicatur de eius natura filiali, deque necessitate subditorum, debitibus in modis, mentem aperiendi: hoc modo ditior evadit ipsa vita religiosa et augetur sensus vitae communis.

N. 10. Ad reintegrationem conversorum fratrum in vita communitatis, verba non sufficiunt; oportet quaedam practice suggerere, ita v. g.: *a*) de loco eis assignando in communitate (cito, post religiosos sacro Ordine insignitos, secundum professionem!); *b*) de officiis eis assignando cum responsabilitate plena coram fratribus (et non circa viliora tantum exerceantur!); *c*) de participatione, ut membra perfecta, in vita communitatis, praesertim in capitulis conventionalibus; *d*) de instructione, *necessario*, illis praebenda. Hoc modo, vel similibus modis, vocaciones florescerent et laici redirent ad pristinam figuram laicorum.

N. 12. Consideratum est casus « clergyman » Religiosorum proprium? ... Distinctiones sunt odiosae, sed utile esset scitu si datur possibilitas conficiendi « clergyman » paupertati Religiosorum magis accommodatum!

N. 13. Ad unitatem fovendam, in expositione, bonum esset omnia quae de formatione alumnorum dicuntur, in competenti schemate ponere. Hic tandem notare valet: *a*) *ad Religiosos quod attinet*, provide et opportune praeparare iuvenes ad futurum ministerium etiam secundum indolem ipsius iuvenis, in quantum possibile; *b*) *ad Religiosas quod attinet* bonum esset tempus determinare protractae formationis « in domibus aptis » post transactum novitiatum, secus, ratione prementis necessitatis, *omnia manebunt uti prostant!*

N. 18. Ista conferentiae, meo iudicio, deberent: *a*) excitari in omnibus nationibus; *b*) cum episcopalibus conferentiis semper coniungi ut testimonium unitatis Ecclesiae clarius appareat etiam in unitate cleri.